



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Idem Innocentivs III. Cistercien. Morimunden. & de Christa Abbatibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

# Litteræ Apostolicæ pro IDEM INNOCENTIVS IIII.

Cisterciens. Morimunden. & de Christa Abbatibus.

*Iubet coerceri eos, qui translationi sacrorum librorum vulgari dabant operam, & secreta conuenticula celebrabant, ac sine superiorum auctoritate prædicationis officium temere usurpabant; contra quos, sublato appellationis remedio, procedatur.*

Ex eodem Re-  
gisto Innocen.  
III. lib. 2. f. 409.



A est in fouendis virtutibus, & vitij extirpandis à prælati ecclesiarum seruanda discretio, & circumspectio adhibenda, ne vel inter nascentium densitate spinarum, enormiter frumenta lædantur, vel insuper seminatorum zizaniorum euulsione triticum euellatur. In abscondendis etiam, & curandis corporibus infirmorum, sic oculi diligentia præcedere debet manus officium, & ferrum digitus præuenire, ne si cauterium adhibeatur incaute, non tam partes infirmas non sanet, quàm sanas infirmet; quod tanto diligentius in mentis languoribus est seruandum, quanto animam nouimus corpore digniorem, & spiritualia carnalibus præponenda. Hoc autem infra nos ipsos diligentius attendentes, cum olim Venerabilis frater noster Meten. episcopus per suas nobis litteras intimasset, quòd tam in diocesi, quàm in vrbe Meten. laicorum † & mulierum non immodica multitudo Gallicæ cuidam translationi diuinorum librorum intendens, secretis conuenticulis etiam inter se inuicem eructare præsumerent, aliorum aspernantes confortium, & in faciem redarguentibus presbyteris resistentes, quorum simplicitatem faldunt in suæ translationis peritia confidentes; non protinus ad vindictam nos res accendit incognita, sed vniuersis tam in vrbe, quàm in Meten. diocesi constitutis, sub eo tenore litteras curauimus Apostolicas destinare: qui vobis ex transcripti earum poterit inspectione patere. Eidem insuper Episcopo, & capitulo Meten. dedimus in mandatis, vt inquirerent solite veritate, quis fuerit auctor translationis † illius, quæ intentio transferentis; quæ fides vtentium; quæ causa docendi: si videntes ipsa, venerentur Apostolicam Sedem, & Catholicam ecclesiam honorarent: vt super his, & alijs, quæ necessaria sunt ad indagandam plenius veritatem, per eorum litteras sufficienter instructi plenius intelligeremus, & planius, quid super his statui oporteret. Nuper autem idem Episcopus, per suas nobis litteras intimauit, quòd quidam eorum, quos notabiles prioribus litteris denotarat; mandatis seculari Apostolicis obedire: † quibusdam eorum clanculo; quibusdam vero iam publice obediendum esse dicentibus soli Deo; ab occultis etiam conuenticulis non cessantes; officium prædicationis occulte, licet à nullo mittantur, prohibiti etiam sibi non metuunt usurpare aspernantes sibi dissimiles, & translationi eidem vsque adeo insistentes; vt se nec Episcopo, nec metropolitano suo, nec nobis ipsis afferant parituros, si eam decreuimus abolendam. Licet autem tales in eo reprehendi merito videantur, quòd occulta conuenticula celebrant, officium prædicationis usurpant, simplicitatem despiciunt sacerdotum, & eorum consortia, qui dictam translationem non recipiunt, aspernantur: ne quid subito facere uideamur, discretioni vestræ (de qua plene confidimus) per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ad ciuitatem Meten. pariter accedentes, cum eodem Episcopo conuocetis coram vobis talia sapientes, & adhaerentes translationi prædictæ; & si fieri poterit, quæ in eis reprehensibilia fuerint, auctoritate freti Apostolica, sublato appellationis obstaculo corrigatis. Quòd si correctionem vestram recipere forte noluerint, inquiratis super capitulis illis, quæ in litteris, quas Episcopo miseramus, expressa fuisse, superius vobis expressimus, & alijs etiam diligentius veritatem, & quod inueneritis per nuntium vestrum. & litteras plenius intimetis: vt per vos certiores effecti, prout procedendum fuerit, procedamus. Cum enim in hoc vniuersalis Ecclesiæ vertatur negotium, & agatur causa fidei Christianæ, † ad exequendum Apostolicæ Sedis mandatum cum summa diligentia, & cautela, vos studiosos, & promptos esse volumus, & mandamus. Ad hæc M. Crispinum, presbyterum, & R. socium eius, si super his, quæ dictus Episcopus eis duxerit opponenda, inueneritis elle reos, ipsos appellatione remota canonice puniat. Alioquin eundem Episcopum ad remittendam poenam, si quam eis forsitan inflixit, cum nihil contra eum, vel clerum in nostra proposuerint audientia, monitione præmissa, districtione qua conuenit, remoto appellationis obstaculo, cogere non tardetis. Quòd si omnes, & c. duo vestrum. Dat. Latera. v. Idus Decemb.

† Concor. cap.  
Cum ex inuentione,  
de hære.

† Concilium  
Tololanum c.  
38 penitus in-  
terdicit ne laici  
libros sacros  
habeant in vul-  
gari translato

† Hic erat error  
Pauperum de  
L. gduo. Eym-  
er. in Directo-  
rio par. 1. q. 14.

† Et ob id ad  
Sedem Aposto-  
licam referen-  
dum c. Maiores  
de baptis. & e-  
ius effectus.

GREGORIUS IX.

*Hoc rescripto Gregorius Patarenos in primis, & eorum complices acriter persequitur, quorum suo tempore perfidia adhuc ecclesiam Dei vexabat: docet autem poenas, & ordinem puniendi eos. idem postea rescriptum nullis poena mutatis alij Pontifices confirmarunt, & reculerunt, & ad omnes hæreticos extenderunt: vt Innocentius IIII. in Bulla incip. Nouerit vniuersitas. quæ est infra loco suo. item Alexan. IIII. in Bulla incip. Nouerit vniuersitas. quam refert Eymericus in Directorio par. 2. item alij in c. Excommunicamus 1. & 2. de hæret. & in c. Quicumque. de hære. lib. 6.*

Incipiunt